



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Arianen. Episcopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

ris falsis inserta reducitur infra plum-  
bum. Quinta, cùm literis bullatis & redi-  
ditis aliquid in eis per rasuram tenuem  
immutatur. Eos etiam à crimine falsitatis  
non reputamus immunes qui contra  
constitutionem præmissam scienter lite-  
ras nostras nisi de nostra vel bullatoris  
nostræ manu recipiunt. Eos quoque qui  
accidentes ad bullas, falsas literas cau-  
tè projiciunt, ut de vera bulla cum aliis  
figillentur. Sed hæ duæ species falsita-  
tis non possunt facile deprehendi, nisi  
vel in modo dictaminis, vel in forma  
scripturae, vel qualitate chartæ falsitas  
cognoscatur. In ceteris autem diligens  
indagator falsitatem poterit diligentius  
intueri, vel in adjunctione filorum, vel  
in collatione bullæ, vel motione, vel ob-  
tusione; præsertim si bulla non sit æqua-  
lis, sed alicubi magis sit tumida, alibi  
magis depressa. Si vero quod contra  
ipsum I. vobis præcipimus neglexeritis  
adimplere, noveritis nos venerabili fra-  
tri nostro Vercellen. Episcopo præci-  
piendo mandasse ut ipse id auctoritate  
apostolica sublato appellationis obstacu-  
lo exequatur. Datum Spolet. IV. Nonas Se-  
ptembbris.

*D E F A V R E S H A M,*  
*S. Augustini, & S. Georgij Prioribus,*  
*in Cantuarien dioceſi conſtituitis.*

*Epiſt. 350.*  
Ne ad iedem  
apostolicam ri-  
te appellantes  
impediantur.

**S**ic apostolica sedes inter fratres &  
coepiscopos nostros pastoralis dis-  
pensavit oneris gravitatem, sic eos in  
creditæ sibi solicitudinis partem affum-  
psit, ut nihil sibi subtraheret de plenitu-  
dine potestatis, quod minus de singulis  
causis ecclesiasticis inquirere possit, &  
cùm voluerit judicare, ad communem  
omnium utilitatem constituens, ut ad  
eam tanquam generalem omnium ma-  
trem & singulare fidelium Christi refu-  
gium appelletur, per quod & minorum  
tollatur oppressio, & superiorum præ-  
sumptio refrænetur. Cùm itaque appel-  
lationibus, quæ ad sedem apo. interpo-  
nuntur sapienter, velimus ab omnibus hu-  
militer & devote deferri, disc. vestræ  
per apostolica scripta mandamus & di-  
strictè præcipimus quatenus ex parte  
nostra curetis fortius inhibere ne quis in  
Cantuarien. Ecclesiam & dilectos filios  
Prioris & monachos Cantuarien. post  
appellationem ad nos legitimè interpo-  
litam excommunicationis, suspensionis,  
sive interdicti sententiam proferre præ-

sumat. Si quis verò contra præsumpe-  
rit, vel haec tenus forte prælumpsit, ien-  
tentiam ejus nullam esse penitus nun-  
cieris. Si qui etiam possessiones eorum  
invaserint violenter, eos ad restitutio-  
nem earum per censuram ecclesiasticam  
appel. postposita compellatis. Nullis li-  
teris ob. veritate tacita &c. Quod si om-  
nes &c. Datum Spolet. IV. Nonas Se-  
ptembbris.

*S. AVGUSTINI ET S. GEORG.*  
*Prioribus Cantuarien.*

**D**ilecti filii Io. & Hubertus nuncij  
dilectorum filiorum Prioris & mo-  
nachorum Ecclesie Cantuarien. nobis  
humiliter retulerunt quod cùm pro cau-  
fa quæ inter dictos Priorem & mona-  
chos & venerabilem fratrem nostrum  
Cantuarien. Archiepiscopum super ca-  
pella de Lamhee vertebatur, ab ipsis  
Priore ac monachis mitterentur, sicut  
eis propositum fuit, idem Archiepisco-  
pus post iter arreptum in eos excommu-  
nicationis sententiam promulgavit. Cùm  
autem plus sit ad sedem apostolicam  
facto provocare quam verbo, & ipsis  
propter prædictam causam ad Romanam  
Ecclesiam venientibus, intelligatur ad  
sedem apostolicam provocatum; discre-  
tioni vestræ per apostolica scripta man-  
damus quatenus si verum est quod asser-  
tur, dictos Io. & Hu. appellatione post-  
posita denuncietis excommunicationis  
vinculo non teneri. Datum Perusij, III.  
Idus Septembbris.

*ARIANEN. EPISCOPO.*

**A**ccedentes ad præsentiam no-  
stram dilecti filii Georg. & Aug.  
monachi monasterij sancti Salvatoris de  
Telezia, quod ad Romanam Ecclesiam  
specialiter noscitur pertinere, dilecto-  
rum filiorum Conventus ipsius mona-  
sterij ac Prioris & Primicerij Beneven-  
tan. nobis literas præsentarunt: ex qua-  
rum continentia & illorum diligenti si-  
gnificatione nobis innotuit quod cùm  
prædictis Priori & Primicerio Beneven-  
tan. nostras literas misissemus ut P. tunc  
Abbatii ipsius monasterij, quoniam ip-  
sum minus provide gubernabat, de bo-  
nis ipsius facerent congruè provideri, &  
ibidem alium subrogari Abbatem qui  
præesse sciret fratribus & prodesse, pro-  
viso convenienter eidem P. post resigna-  
tionem ipsius, ipso præsente, ac suum

*Epiſt. 351.*  
Evidēcū ag-  
menti.  
Cap. Dilecti ſ.  
Iij. De appellat.

*Epiſt. 352.*  
De elec-  
& confirmatio-  
ne Abbatis Be-  
neventani.

præbente assensum, dilectum filium Io-  
tunc Priorem suum, virum (sicut dici-  
tur) literatum, providum, & discretum,  
canonicè in Abbatem & concorditer  
elegerunt. Cùmque idem electus pro  
confirmatione suè electionis ad nostram  
præsentiam festinaret, propter inediām  
paupertatis, qua monasterium ipsum  
plurimū afferitur aggravatum, nec  
non & causa metus, fuit ab ipso itinere  
revocatus. Quoniam igitur nobis de rei  
veritate plenè constare nequivit, frater-  
nitati tuæ per apostolica scripta man-  
damus quatenus de forma electionis &  
de persona electi diligenter inquiras: &  
si inveneris formam electionis & electi  
personam idoneam, eam auctoritate no-  
stra omni contradictione vel appellatio-  
ne cessante confirmes, & munus ei be-  
nedictionis impendas, ab eo juramen-  
tum recipiens sub ea forma quam sub  
Bulla nostra tibi mittimus interclusam.  
Datum Perusij, XVIII. Kal. Octobris.

**ILLVSTRI CONSTANTINOP.**  
*Imperator.*

Eph. 3:13.  
V: Saracenis  
fortiter resistat,  
& Graecam Ec-  
clesiam ad La-  
tinam, & quam  
matrem, redire  
cogat.

**I**mperialis excellētia magnitudo si-  
se coram eo humiliaverit qui humili-  
respicit & alta à longè cognoscit, & su-  
per eo sui stabilierit imperij fundamen-  
tum præter quod aliud ponì non po-  
test, quod est ipse Iesus, & super quo  
ipse Dominus noster nascentis Ecclesiæ  
posuit fundamentum, *Super hanc pe-  
tram, inquiens, edificabo Ecclesiæ meam,*  
exaltabitur & elevabitur, quoniam om-  
nis qui se humiliat exaltabitur, secun-  
dum testimonium veritatis; & firmabi-  
tur, & non flectetur, quoniam ædificium  
quod super hoc fundamentum consistit,  
nec casum timeret, nec ad machinas for-  
midat hostiles. Vt autem firmius & for-  
tius Imperium tuum in hujus fundamen-  
ti firmitate persistat, oportet ut Deum  
universis tuis affectibus anteponas, &  
sponsam ejus Rom. Ecclesiæ, cuius ipse  
fundamentum & fundator existit, præci-  
pue venereris, ut dum in dilectione spon-  
si & sponsæ perfitteris unitate, ex nulla  
parte celstitudinis tuæ sublimitas quatia-  
tur. Verùm ut non ad detractionem sed  
tuam potius correctionem loquamur,  
miramur nō modicūm, murmurat etiam  
adversum te populus Christianus, immo & ipse Iesus, ubi ille te increpat:  
*Hospes fui, & non collegisti me, infirmus,*  
*& non visitasti me in carcere, & non ve-*

*nisti ad me.* Cùm enim peccatis nostris  
exigentibus venerint gentes in heredi-  
tam Domini, & coinquinaverint tem-  
plum sanctum ejus, immo & ipsum Ie-  
sus Christum quodammodo captivave-  
rint, lignum sanctæ crucis, in qua salus  
mundi peperit, & delevit chirogra-  
phum mortis antiquæ, (in qua etiam Apo-  
stolus se asserit gloriari, *Mibi absit, in-  
quiens, gloriari nisi in cruce Domini nostri  
Iesu Christi.*) nec Christo exuli subveni-  
re nec ad liberationem terræ nativitatis  
ipsius intendere haec tenus, sicut debue-  
ras, curavisti; cùm tam ex vicinitate lo-  
corum, quam abundantia divitiarum tua-  
rum, & potentia, qua inimicos crucis  
munere divino præcellis, id potueris  
commodiūs & expeditiūs aliis Principi-  
bus adimplere. Est etiam aliud propter  
quod non solum adversus te, immo ad-  
versus Romanam Ecclesiam, quæ id ha-  
ec tenus quasi sub dissimulatione transiit,  
murmurat populus Christianus. Cùm  
enim Dominus noster unam sibi spon-  
sam elegerit, non habentem maculam,  
neque rugam, (juxta quod in Canticis  
protestatur, *Vna es, inquiens, dilecta  
mea, sponsa mea, columba mea,* & in  
Evang. dicit: *Alias oves habeo qua non  
sunt ex hoc ovili. & illas oportet me ad-  
ducere, ut fiat unum ovile, & unus pastor.*)  
cùm etiam inconsutilis tunica Christi  
divisa non fuerit, & in Symbolo conti-  
neatur expressè, *Credo unam sanctam ca-  
tholicam & apostolicam Ecclesiam,* Græ-  
corum populi ab unitate apostolicæ sedis  
& Romanæ Ecclesiæ recedentes, quæ  
disponente Domino cunctorum fidelium  
mater est & magistra, sibi aliam Eccle-  
siam confinxerunt; si tamen quæ præter  
unam est, Ecclesia sit dicenda. Vt igitur  
in utroque prædictorum murmur fileat  
populi Christiani, immo ut Christum ti-  
bi reddas propitium, celstitudinem tuam  
rogamus, monemus, & exhortamur in  
Domino, & in remissionem injungimus  
peccatorum, quatenus postpositis aliis  
solicitudinibus viriliter ac potenter af-  
furgas in adjutorium Iesu Christi, & ad  
terrā ipsam, quam ipse proprio sanguine  
comparavit, (de qua in Psalmo ha-  
betur: *Homo factus est in ea, & ipse fun-  
davit eam altissimus.* & alibi: *Deus Rex  
noster ante secula operatus est salutem in me-  
dio terre.) liberandam de manibus paga-  
norum, & restituendam pristinæ liber-  
tati, ut in ea nomen Domini glorificetur*

Cc ij